neis a plano resectas, superficies rotundæ ex lineę vel linearum rotatione genitæ prædictas habent rationes.

PROP. 26. THEOREMA.

Eisdem positis quæ in antecedente; Dico cubum semidiametri sphæræ æqualis solido rotundo esse ad truncum vt tria ad duo.

EST enim (in hoc casu) truncus ad solidum rotundum vt semidiameter ad sui circumferentiam, hoc est, vt duplum quadrati semidiametri ad quadruplum circuli, hoc est, vt $\frac{2}{3}$ cubi semidiametri ad sphæram; est igitur truncus ad solidum rotundum, vt $\frac{2}{3}$ cubi semidiametri ad sphæram; & conuertendo & permutando, solidũ rotundum est ad sphæram vt truncus ad $\frac{2}{3}$ cubi semidiametri; sed sphæra supponitur æqualis solido rotundo; & ideo $\frac{2}{3}$ cubi semidiametri sphæræ est æqualis trunco, at cubus semidiametri ad sui $\frac{2}{3}$ rationem habet quam 3 ad 2; & ideo cubus semidiametri sphæræ ad truncum eandem habet rationem, quod demonstrandum erat.

PROP. 27. THEOREMA.

Si duo cylindrici recti quicunque æquialti, secentur a planis quibuscunque, vnusquisque in duos truncos; proportio, solidi rotundi orti ex rotatione baseos cylindrici circa communem baseos (si opus est) productæ cum Plano secante intersectionem, ad solidum rotundum ortum ex simili alterius cylindrici baseos rotatione, est composita ex directa proportione radiorum rotationis & directa proportione truncorum cylindrici inferiorum.

Sit